

39 34.

Elobim Totum Gaudium Humiles Novit.  
DISCURSUS PHILOSOPHICUS,  
QVÆSTIONES ALIQVOT

*De*  
JURE NATURÆ  
ET GENTIUM,

Complectens,

*Quem*

Ex consensu Ampliss. Facult. Philos.

*In alma ad Auram Academia,*

SUB PRÆSIDIO

*Amplissimi Viri ac Domini,*

D<sup>N</sup>. M. JOH. BERNH.  
*MUNSTERS*

Philosophiæ Practices & Historiarum  
Professoris celeberrimi,

PRO MAGISTERII GRADU,

*Candidæ Candidorum censuræ submittit*

ERNEST GESTRINIUS,  
*Helsingf. Nylandus,*

Ad diem 24 Novemb. Anno 1694.

In Auditorio inferiori.

---

Impr. apud Jo. WALLIUM.

MOJED

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

Alumno dignissimo,

Dn. ERNEST GESTRINIO,  
Philosophiæ Candidato solertissi-  
mo, Cum de juris NATURÆ &  
GENTIUM indole disputaret:

**L**ege Solonigena mitescunt Jura  
*Draconis,*  
Sic Lacedæmonios forte *Lycur-*  
*gus amat*  
Legibus in rectum revocare ali-  
cunde petitis,  
Desinerent tandem deteriora  
seqvi.

Jura dabat mundo ast Legum Ju-  
*stissimus Autor,*  
**GESTRINIUS** dio quæ docet  
ingenio.

*Amicitia ego deprop.*

A. WANOCHIUS,  
S.S. Th. Prof. Ord.

IN HONOREM  
Viri Juvenis, Literarum Virtutumq; decore  
exornatissimi,

Dn. ERNEST GESTRINII,  
Philosophiae Candidati perindustrii, dum pro  
Gradu Magisterii Philosophici indipiscen-  
do solerter disputaret

ERNESTUS GESTRINIUS NYLANDUS.

<sup>67</sup> <sup>1611</sup> <sup>per</sup> <sup>12, 15, 17</sup> <sup>Anzgr.</sup> <sup>1562, 1639</sup> <sup>91</sup> <sup>17</sup> <sup>10</sup>  
SUDANS. LYTRI. STRINGES. SEU. NENU:

**S**ub cruce Salvator SUDANS, per folverat omnē  
mercedem LYTRI justi, quod erat numerandū  
Humanæ gentis pro criminе flagitioso.  
Hoc meritum STRINGES, SEU vera apprendere  
adoptes,

atque Fide solida, finem ad vitæ remanente.  
NENU feras damnum Vitæ, fulgentia, verum,  
cœli Templa hilaris suheas & gaudia carpas,  
qvæ non auricula audivit, nec viderat ullus  
ærumnosus homo, qvicqvad, radiantis olympi  
numen, adornavit cunctis ardentibus illud.  
Ait a proposito discurro, dum mihi mens est  
gratari, eximios, tibi, dilectissime Amice,  
progressus factos in sana Philosophia.

Fortunatus eas qvō te tua Fata secunda  
accersunt, longūm valeas vivasq; per opto !!!

L. Mj. licet impeditior. scripsit

SIMON ZWEPDI

Met. & Log. Prof. Ord;

Pastor Piikensis.



## LECTOR BENIVOLE,

**H**n arena cum mihi esset  
sumendum consilium, de  
edendo aliquo specimine  
publico, tanto nelocius  
hoc feci, quanto habui  
certius, quod bis hic cuquam non licuerit  
peccare. Confiteor equidem, me ob spem,  
cui jam modestè imminere video, ex-  
actiorem cognovisse, & penè elaborasse mate-  
riam, de Vindicatione reipublicæ ab  
interitu; verum ubi tantum non sub prelo  
jam inciperet sudare, certior factus fui,  
non esse diu, ex quo illa in hocce nostro  
Musarum Palladio doctum habuerat pro-  
pugnatorem, à cuius rationibus diversas  
afferre, individua non patiebatur veritas,  
nec validiores per diem unam atque alte-  
ram parare mihi erat in expedito, cum  
majores ita fuissent observandæ res,  
quam quas noster modus tam brevi spatio  
potuisset expedire. Ita destituentे fortuna

A.

præ

primas spes, hæsit diu aqua, donec illud, modo quod dixi, cepi consilium, ut quæstiones has de Jure Naturæ atq; Gentium, cum illarum explanatione proponerem ventandas. Si vero in tali puncto non affectus sum quod debui, causam habes, quâ crediderim me jam apud Te, L.B. irâ excusatum. Esto itaque

## QUÆSTIO PRIMA.

*An jus Naturæ rectè definiatur,  
cum dicitur illud esse, quod na-  
tura omnia animalia docuit?*



ximum humanæ mentis pri-  
vilegium, quod multum  
virium habet ad societatem  
conciliandam, conservan-  
damque, dicit Ricard. Cum-  
berland de nat. hum. & recta ratione, in  
Disq. Phil. de leg. Nat. p. m. 28. esse vim A-  
nimæ ad affectus excitandos, sistendos mo-  
derandosque, & eos in majoris boni appe-  
titum, malique fugam derigendos,  
quam quod cadit sub cuiusvis alterius  
animi

animalis cognitionem; qvoniam & plura  
 & universalia bona, eorumque summas &  
 series ordinatas capimus; sentimusque,  
 non posse animum divertere a cogitationi-  
 bus & affectibus, quae nostra privatim com-  
 moda spectant, eosdem determinare ad  
 boni publici curam, in quo libertatas e-  
 minet. Et pagina proximè præcedente,  
 §. 4. mentem, inquit, istam longè esse  
 majorem, & ad majora creatam, quam  
 ut unius animalculi vitæ tuendæ deservias,  
 indeq; illius acumen in iis potissimum e-  
 minere, quae ad Numinis agnitionem ac  
 cultum, & moralem civilemque doctrinam  
 spectant.

Imo vero existimandum, quin & fir-  
 miter tenendum, ejusmodi vim, menti hu-  
 manæ concessam, si modo ea, & ab ipsa ra-  
 tione per se, & ab hac eadem ad legem  
 relatâ, tanquam superadditum quodpiam  
 consideretur, nihil esse aliud, quam ipsum  
 jus naturæ, quod legi æqvipollens, etiam ne-  
 cessarium dici potest, quatenus distingui-  
 tur a voluntario.

Jus autem Naturæ, quanquam ita dica-  
 tur, ad natüram tamen rationalem ablo-  
 lute ideo sui non resert solum originem:

4  
quia etiam quemadmodum omnes leges,  
ita & lex, sive jus naturæ, ab eo debet profi-  
cisci, qui vim habet obligandi; hic vero Na-  
tura in semet ipsam non habet imperium.  
Ergo. Ubi observetur, quod natura sese  
habeat in respectu ad Jus Naturæ instar  
vel subjecti, vel objecti personalis, cui ali-  
unde ejusmodi jus datur. Qvarce natura  
nequit esse ejus principium.

Nos itaque pronunciamus, Jus Naturæ à bonitate, justitia & sapientia DEI  
provenire; atque sic divinæ mentis conce-  
ptum referre, adeò, ut ipsum Jus Naturæ  
desinere esse jus, si DEUS aliud, quam  
quod inscripsit, mentibus hominum tribu-  
eret. Hinc rectè à Doct. Osiand. in ob-  
servat. ad Hug. Grotium difinitur, quod  
sit regula quædam firmiter homini, (ho-  
mini inquam,) infixa, quæ vindicat, quid  
justum ex se & injustum, & ad prius se-  
standum, posterius vitandum, obligat.

In natura verò rationali cum inveniatur  
Jus Naturæ ut in sede & subjecto suo: hac  
ratione non male crediderim, illud per  
habitum quoque posse describi, cum ita  
videatur esse constans quædam qualitas,  
per quam apti simus comprehendendis  
prin.

principiis practicis, quæ in sanctitate & justitia divinâ fundantur, nec ita in nobis deprehenduntur radicata, ac si essent tantum potentia quædam apprehendendi illa, quæ per habitum connatum nobis appropriamus. Verum hæc accipienda sunt de *actu primo*; quoad *actum autem secundum Jus Naturæ*, quomodo se diffundat in actuales propositiones & præcepta, optimè per regulam definitur; cœu modo à nobis erat factum.

Hinc, cum & omnis, & solus homo, ita sit comparatus, ut indifferens sit ad actus morales, qui Juris Naturæ, quatenus operationem spectant, sunt objectum, alter nec fieri debuit, nec potuit, quam quod omnium omnino justarum legum summus conditor, hoc jus, toti generi humano, viribus ejus satis superque proportionatum daret, & inde jam à primâ primâ hominis creatione ipsi insereret, ut appareret aliquod lumen veri, semenque boni. Imo, cum DEUS hominem, sociale animal condiderit, ad societatem ordinatam atque duraturam, legem quoque hanc, quam cœu vinculo quodam, mortales inter se continentur atque obligarentur, illi simili-

dederit, necesse fuit, ne qvid contra socios  
alem vivendi rationem admitteretur; ve-  
rum, in societate degentes omnes, suâ  
salute ipsius litarent gloriæ, qui omnis  
boni ordinis est stator atque conservator.

Norma ideo juris Naturæ, est Lex DEI  
æterna, si idealiter & abstractive sumatur,  
prout in DEO est omnis rectitudinis &  
honestatis idea atque  $\pi\varphi\omega\tau\alpha\tau\mu\sigma\sigma$ . Hanc  
Juris Naturæ normam, ostendunt summi  
illius Entis, DEI, attributa, quæ cum  
virtute morali, aliqualem habent con-  
venientiam: dixi aliqualem: intellectus  
quippe practicus quasdam divina ju-  
stitiæ ventilat particulas; sicut intellectus  
speculativus, suis principiis instructus,  
æternam refert sapientiam. Si verò, Lex  
æterna intelligatur imitativa & derivative,  
inest ipsi naturæ & rectæ rationi; consi-  
derata autem representativa, ostensiva  
& concreta, in actibus rectis & honestis  
conspicitur. Atque sic est actui mora-  
liter bono essentialis & intrinseca, adeò,  
ut per conformitatem cum lege æternâ  
primariò, deinde cum recta ratione  
secundariò, dicatur formaliter bonus  
actus.

Hisce præsuppositis, liqvidum est, Jus Naturæ ad bruta, rationis expertia, non posse extendi, cum capacitas juris sanè capacitatem præsupponat rationis, qvam quidem Hugo de Roy in ratione carentibus æqvè ac in rationantibus dicit reperi- riri & cerni, verum minus rectè. Na- turā quidem, vel instinctu naturali se suaqve diligunt, vitam defendunt, cor- pus tuentur, conjunctionem maris & fœ- minæ appetunt, curam procreati gerunt, & qvæ sunt id genus alia. Instinctus verò iste naturalis morale quidpiam non habet, qvod naturali superadditum saltem in agens liberum cadit.

Unde sic actus brutorum, non probant, aliquod jus ipsis competere: nec dandum erit Tribonianis clientibus, qvod inter jus, consideratum *materialiter* & *forma- liter*, queant distingvere: qvod discrimen ideo ab eis est excogitatum, ut in brutis, Jus Naturæ, queant sustinere, qvorum communes tantummodo actus jus esse reputarunt. At moralis actio, ceu modo erat indigitatio, qvæ brutis denegatur, jus arguit, in qvâ demum duo conspi- ciuntur, actio nimirum Physica, qvæ ma- teriale

teriale dicitur, & ipsum formale, quod convenientia est, cum lege, aut ab eadem dissensio, quæ actionem naturalem determinant, & morali afficiunt qualitate, quam ille, cui ex meliori lato fixit praecordia Titan, nunquam brutis assignabit. Ergo nec ius illis erit adscribendum, quæ, non ex sensu juris obligantis sentiunt, quid sibi bonum & congruum sit, verum solummodo ex sensu indigentiae naturalis. Inde ait Cic. de Off. I. 1. c. 4. Inter hominem & bellum hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque præsens est, se accommodat, paululum admodum sentiens præteritum & futurum: Homo autem, qui rationis est particeps, per quam consequentia cernit, principia & causas rerum videt, earumque progressus & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusque præsentibus adjungit atque annexit futuras; facile totius vite sursum vider, adeamque degendam præparat res necessarias. Sc.

Hisce & similibus argumentis moti, quæstionem negamus, si genuina juris attendatur significatio: si vero illud sumatur pro incli-

9

natione, potentia & operatione, qvæ certa ratione, naturæ & fini cuiusque rei convenit; tantum abest, ut non solum animantia cuncta illud habeant, ut ad placitum Pet. Gassendi 2. Eth. c. 5. p. 798. plantis quoque &c aliis rebus omnibus, qvibus facultates aliquæ à natura insunt, idem competit. Atqve sic omnia dicuntur, fixis naturæ legibus ire, & propter finem agere, etiamsi eum minime attendant, sed in eundem ductu solum naturæ dirigantur. Si vero jus naturæ accipiatur pro ejusmodi inclinationibus & operationibus, qyæ cum brutis, non autem cum plantis, ac aliis rebus inanimatis, homini communes sunt, tum speciali modo hoc jus posset tribui brutis, qvorum actibus in plantis & corporibus inanimatis nihil simile reperitur.

Si autem nostra adhuc veritati consona erit sententia, dicimus qvod omnino dicendum erit, qvocunque modo non plantis tantum, & inanimatis reliquis, sed brutis etiam, jus concedatur; hoc tantum fieri improprie: qvod certè est, hoc ipso idem, istis penitus denegare.

B

QVÆ

## QVÆSTIO SECUNDA:

*Num possum circa Jus Naturæ dispensatio fieri?*

**P**ostquam ita nostram de Jure Naturæ declaravimus mentem, in quæstione superiori; Consultum duximus, in præsenti affectionem ipsius, nimirum immutabilitatem, demonstrare, quam cum altero attributo, Evidentia, vel ex antea dictis colligere, omnino est in expedito, cum Jus Naturæ ex fonte dixerimus promanasse, fluctuantes non trahente undas, quæ alveo suo dissimiles, a destinato recipiuntur solo,

Origo quippe Juris Naturæ, quam ad sanctitatem atque justitiam DEI, nullam proslus mutationem & vicissitudinem naturâ suâ agnoscentes, retulimus, immutabilitatem ejus arguit. Evidentia ejusdem in ipsa natura rationali conspicitur, per actuum moralium, sive decentiam, sive deformitatem atque inconvenientiam cum honestate, adeoque per necessariam subiecti & prædicati circa eandem connexionem: Pollet homo judicio rectæ rationis, cui per naturam inest, nototrum nobis, & æ-

ternæ veritatis atqve necessitudinis, principiorum practicorum complexus, undē deductas conclusiones de immutabilitate Juris Naturæ, qvod eunt amplificatum, tam firmum perhibere crediderim testimonium, ac in Syllogismis ex infallilibus & bonis præmissis, infallibiles ac necessariæ eliciuntur Conclusiones.

Quare non male describitur Jus Naturæ *lex*, rectæ rationi naturæque congruens, diffusa in omnes, constans, semper iterna, cui nec quidquam addere fas sit, ut nec derogare ei aliquid liceat; nec vero aut per *senatum*, aut per *populum* illâ privari possimus. Adde, qvod, sicut cor, eâdem circulatione sanguinis, totius animalis vitam conservat, singulis membris proportionatum distribuens alimentum; ita jus Naturæ oinī & roti complexui Rerumq. omnibusque mortalibus ejusmodi prospic operâ, ut servatis singulis, singulæ partium illarum possint vigere. Atque sic, *æquitatis* naturalis non potest concedi mutabilitas, dispensatio alias dicitur, qvæ quidem in legibus civilibus in hoc differt ab *æquitate*, qvod illam nemini licitum sit adhibere, præter istum,

qui eminentis est dominii, potestatemque  
habet legislatoriam; hanc autem vel  
inferior quisque judicum, non tutò que-  
at solùm, sed teneatur quoque sic obser-  
vare, ut si solam legis literam securus,  
judicium in isto casu non suspenderit, in  
quo *equitati erat locus, quam per errorem invincibilem,* qui circa jus Naturæ  
non accidit, minus potuit investigare,  
contra mentem legislatoris fecisse putan-  
dus sit.

Et hoc modo *eqvitas* seu  
*emeikia*, non est aliud, quam virtus,  
propositum legislatoris magis, quam  
verba respiciens, indicansque, legem, hoc  
vel illo casu non obligare, ob interven-  
tum circumstantiarum & conditionum  
rei adhærentium, quæ in suo foro limi-  
tationum titulo salutantur. Hæc rursus  
differt ab *interpretatione*, quæ est beni-  
gna legum, quæ sensum verborum in par-  
ticularibus, prudenti adhibito modera-  
mine, explicatio, illaque vel legislato-  
rum, quæ authentica, vel judicum, quæ  
usualis, vel jura profitentium, quæ do-  
ctrinalis audit. *Dispensatio* autem est  
juris vel legis alicujus relaxatio, atque  
obli-

obligationis in quibusdam detractio, quæ actus notat jurisdictionis, quemadmodum hi, ut dictum prius, cuique eminentis dominii personæ & legislatori competunt.

His ita enodatis, liquet, jus Naturæ dispensatione humanâ, quæ à Magistratu possit institui, omnino esse indispensabile, quod non ab hominibus sit datum, sed superiorcm agnoscat causam. Cumque non ejus sit legis rigorem tollere, qui illam recepit, sed qui tulit, jam non magis legem naturalem, quam divinam, mutare licet Magistratui politico, vel supremum exercenti imperium, apud quem vicem illa obtinebit Lydii lapidis, quo actiones suas erit probaturus in singulis. Illam, inquam, nomam habebit verissimam, ad quam omnis ipsi erit ferenda sententia, nec ungvem quidem latum istum decet ab eâ recedere, ne aspera civitatem maneat fata, & salus publica periclitetur.

Nedum alios, hanc, pro luctu credamus posse violare, ubi civilis imperii auctoritas aut filiet, aut eludi potest, eò, quod potent, se non posse esse securos, quod alii eam obseruent in iis, quæ conservacionem illorum spectant. Unde illis non hoc dan-

dandum: unicuique in eo esse positam omnem spem securitatis suæ, ut viribus artibusq; propriis, proximam vel palam, vel per insidiarum fraudem præoccupet. Nam non solùm qvoad *aëtus internos*, jus Naturæ obligat ad studium pacis, verum etiam qvoad *aëtus externos*, hoc agit unice, qvod jubeat, ut in illis nemo sibi omnia arroget, sed abstineat à damno innocentium, pacatè vivat, & beneficium beneficio reponat.

Dimus porrò, securitate, qvæ ab omni metu causâ libera sit, non esse opus de aliorum observantia legibus Nat. præstandâ, ut obligemur ad *aëtus externos* iis conformes, cum voluntas cognita primæ causæ, qvæ leges hasce de *externis aëtibus* præcipientes sancivit, sufficiens sit ratio, qvâ qvis ad eos obligetur. At manente obligatione, manebit quoqve lex: quia hanc illa præcavirit, sicut effectus suam causam.

Interpretationem in Jure Naturæ non habere locum, minimè ambigimus, qvippe qui affirmamus ex præcedentibus, illud cum æquitate adeò non convenire, ut planè esse eandem, cui, ut scopo, adqvem

qvem omnes aliæ leges coliment, haud adaptari potest reliqua interpretativa, qvæ, ut innuimus, in legibus scriptis solet adhiberi in iis, qvæ à legislatore universaliter sunt posita, at tamen *limitative* erunt intelligenda, qvæ etiam ipse vel ore, vel scripto inferiori Magistratui declararet, si actio præsens locum relinqueret huic illum consulendi. Cujus rei enumerandis exemplis, qvæ plurima possent inveniri, jam supersedemus, brevitatem horæ intuentes, atque necessitatem, qvæ & in tali casu ferendæ sententiæ promptitudinem non raro aspernatur.

Nos concipimus, sicut etiam est concipiendum, Jus Naturæ ut nunquam scriptum. Atque etiam sic dicimus, *interpretationem* hinc debere abesse, qvæ saepius in legibus humanis minus arguit literis esse traditum, qvam subintellecum. Et licet eâ ratione hoc jus non legi aut audiri queat, auditur tamen, qvin & cognoscitur qvam maximè, concepto paritet mente omni ipsius dictamine, cum universis qualitatibus. Unde erit sponte suâ simplex obligatio, qvam

quam nec tollit *additio*, quā leges ci-  
viles non mutant Jus Naturæ, sed defi-  
niunt faltem ea, quæ à naturâ, *deter-  
minationem* legis non acceperunt.

**Ad quæstionem autem:**  
**Num Deus possit in jure Natu-  
ræ dispensare,** vel liberum ali-  
cui permittere arbitrium contra illud  
faciendi, respondete solent distingvendo  
inter dispensationem sumptam: *propriè*,  
quā Deum verè quidem negant circa il-  
lud posse dispensare, cum hæc permissio-  
nem & approbationem dicat actus, qui  
adæqvatè & qvoad omnes suas condi-  
tiones, contra legem acceptus, malus sit  
*intrinsecè* & *extrinsecè*, quales sunt omnes  
isti, qui circa ea exercentur, quæ jure Na-  
turæ sunt prohibita; Sicque ille contra-  
dictionem involvat in DEO, qui per sa-  
pientiæ suæ perfectionem emineatissimam,  
cui optima voluntas nunquam non po-  
test esse conformis, Jus Naturæ nobis  
concessit: *impropriè*, quæ his Auctori-  
bus est concessus actus, juri huic quidem  
qvoad *materiale* visus contrarius, cuius  
tamen alia erit *formalitas*, si singulæ ejus  
con-

considerentur qualitates & circumstan-  
tiæ. Qvo sensu *dispensationem* legis Na-  
turæ DEO assignant.

Verum ejusmodi actus hic non erit  
estimandus de ipso Jure Naturæ, sed de  
ejus *objecto*, qvod hunc tantum specificat,  
hoc est, illud *formale*, qvod habet actus,  
juri Naturæ habitus contrarius, non est ex  
intrinseca ratione juris Naturæ, sed ex na-  
tura rei, qvæ hujs est *objectum*, qvod  
talem actum hac vel illa induit qualitate.  
Unde actus ejusmodi, voluntatis divinæ  
conseqventia *impropriè*, iuris non sunt Na-  
turæ. Cur neqve ipsi impropria compe-  
tit dispensatio, illo scilicet sensu, qvo et-  
iam D. Meisnerus cum aliis hanc vult  
intelligi in Philos. sua sobria, nisi pro  
negatione habeatur *dispensationis* propriæ,  
atqve sic in hoc pñcto præter necessita-  
tem hic terminus sit amplificandus, &  
de jure, jure, inquam, Naturæ, frustra  
adhibendus.

Hoc cum tam verè sit dictum, ut  
ei non possit contradici, nisi fortè ab  
illo, qvi præconcepcta opinione, vel au-  
toritate eorum, in qvorum juraverat  
verba, rei amet infringere veritatem, suam

ita qværens laudem, qvæ in vitium ipſi tamen vertitur, dicimus, omnem *dispensationem* respectu DEI fieri circa *objectionem* saltem juris Naturæ, qvod aptitudinem habet dispensabilitatis in conditiōne qvidem naturali fundatam, ita ut illud per potestatem aliquam competentem, à DEO non ut legislatore, sed ut summo rerum Domino, possit mutari vel tolli. Sic DEUS iussu immolatianis Iſaaci non dispensavit circa jus Naturæ, utpote qvi ex dominio universalis in creaturam suam, competenter vel ipſe potuisset illum neci dare. qvod jam Abrahamo patri præcepit. Nec furtum, lege naturali prohibitum, permisit Israëlitis per concessam liberam ex Ægypto vasorum ablationem: aſtus qvippe iste à conditione *objectionis* erat, vasorum, scilicet, qvæ non invito domino, sed ut laboris præmium erant sumpta. Ubi rem juri Naturæ videmus esse subtractam, atqve ob suas circumstantias desinere esse ipsius *objectum*. Et hinc sanè nec omnis deneganda videatur proportio Magistratui politico summo, qvin ad tenorem supremi æqvissimique dominii, divini, puta, ex rationabili causa pos-

possit probare, qvod subditi post auditam malam administrationem non habeant in res illud jus, qvod habituri essent, si iis benè fuissent usi.

Qvod si autem Fratrum & Sororum conjugia primæva, ac patrum qvoque polygamia assumantur, tum qvidem nec illa jus Naturæ alternant, qvia adhuc dum hodieqve non est evictum, fuisse ea juri Naturæ contraria, qvin mitius fortè cautiusrve agunt, qvi diversum agnoscunt pro vero. Et si vel maximè ita fuisse, sequestrandum utique foret Jus Naturæ *absolutè* consideratum, & intelligendum illud, qvod est ex hypothesi & multiplicationis generis humani *suppositione* tale. Verum istam litem, suspenso jam nostro judicio, Theologis ex industria relinqvimus dirimendam, ne falcam immittamus in alienam messem.

### QVÆSTIO TERTIA. Sitne Jus Gentium à consensu populorum?

**D**ari verò jus Gentium, arguit singulritas cuiusdam objecti, qvo illud per abstra-

abstractionem ad certum redigitur formale, ubi etiam finis de ejus testatur existentia. Dantur quippe quidam actuum publicorum, qui aequali tenore, & necessitate peculiari fere habent ad gentium quam talium salutem: Unde omnino presupponendum est ipsum jus Gentium, ut regula quedam hos unicè dirigens atque normans. Hujus vero, ut iurum cæterorum strictè legis rationem habentium, cum necessarium requisitum sit obligatio, nostri jam erit institui, paucis ipsius indigetare fundamentum.

Ex libero autem consensu populorum esse jus Gentium, utut magni magno ve-  
lint nisu, hac tamen ratione posset revocari  
in dubium, cum universalis non possit  
haberi, qui perpetuus sit ratione obli-  
gationis, cum talis consensus indiffe-  
rentiam presupponat actuum ad hoc vel  
illud: atque sic, quæ libero forent sancta  
arbitrio, contraria voluntate reddi de fa-  
cili possent irrita. Hoc vero de jure  
Gentium non erit aslendum, quippe  
quod planè est immutabile ratione Re-  
rum publicarum, quarum intima natura  
non

non vult, ut sua vincula, qvæ instar sacræ sunt anchoræ, solvantur à populis per indeterminatam voluntatem.

Quodsi vero concederetur demonstratio consensus ejusdam universalis, quo gentes ut sic, de qvibusdam rebus aliquid *absolutè* statuissent, non tamen illarum placita istâ suâ universalitate tantum efficerent apud posteros, ut hæcce non possent mutare, ad qvæ singuli non præbuerunt assensum. Nec qvi Jus Gentium violaret, poenam teneretur subire, dum diceret, suum non esse additum consensum.

Et licet omnibus gentibus, & non solum moratoriis hoc jus placuisse, ex eo tamen non haberet obligationem, cum ejus actuum frequentiam non nisi à posteriori præsumptus aliquis consensus tacitus potuisset permittere, non vero obligationem inferre à priori, qvam tamen eo modo habere debent gentes plenè absolutam, cum non ipsæ hoc jus sibi dixerint, sed ad illius præscriptum omnia agere debeant, socialem respicientes rationem Rerum publicarum, ad quas

qvas illud semper dicit relationem, sicq; obligationem continet, qvæ omnem liberum consensum antecedit, ex qva demum agunt non propter consensum, sed proper intimam naturam & nexus Rerumpublicarum, in qvarum læsionem suscepiti actus non possunt esse de Jure Gentium, & contra, qvi illarum mutuam concerunt salutem, ad hoc sunt referendi.

Ergo Fundamentum ejus erit, prorsus necessarius consensus & connexio Rerumpublicarum, qvarum respectu quoque Jus Gentium definimus per regulam actuum publicorum, gentes, ut tales, instruens & obligans ad id, qvod societati humanae utile & necessarium est.

Scilicet concipienda est universalissima qvædam Socieras, in qva, dissentire voluntibus omnibus civibus, Jus Gentium non pro permissionibus habeatur, sed ut obligatorium intelligatur. Undè Vasqvii non possumus assentiri sententiæ, qvod illa, qvæ hodie Juris Gantium sunt, prius fuere tantum Juris civilis, qvæ cursu temporis atqve usu omnium vel moriorum gentium hujus denique Juris facta

Eta sint, hæcq; rursus, si in desuetudinem  
abire inciperent, ut apud unam gentem  
saftem observarentur, non amplius es-  
sent Juris Gentium, sed solum civilis,  
id est, ejus civitatis vel regionis, ubi il-  
lud Jus adhuc permitteretur & perma-  
neret.

Adplicari quidem potest Jus Gentium,  
quantum natura ipsius admittit, ad so-  
ciatem civilem, atque quandam quasi  
determinationem habet à jure civili. Il-  
la vero non aliquam dicit dependentiam,  
sicut nec Ius Naturæ à Jure civili eò de-  
pendet, qvod illo fur *in determinatè* pœ-  
næ obnoxius, per hoc laqveo vitam fi-  
nire jubeatur. Et si jus gentium a na-  
turali, cum quo quidem est norma Ju-  
ris Civilis, diceremus per discursum &  
conclusiones posse derivari, certè &  
hac ratione negaretur voluntatis ad id  
constituendum libertas, cum à tam  
firme derivaretur principio, cui fortè  
universalitate sua par reputari pos-  
set, si omnia hominum individua essent  
accensenda certis populis, ita tamen, ut  
semper mutuam respiceret societatem, à  
qua

qua etiam ipsius est cognoscenda immutabilitas.

Aliquem vero tacitum consensum hic admittimus, qvi, ceu modo dictum, saltem à posteriori, non vero priori, ut principium aliquod efficiens, fundatum audiat Juris Gentium, quatenus scilicet gentes parendi necessitate gestiverunt mores & actiones suas huic reddere conformes.

Hac ratione per illum dicimus indigentiam, nostræ naturæ præternaturaliter in statu legali aspersam, nostros mensurare actus, qvi aliarum gentium gratiâ suscipiuntur. Quæ nostra nunc esto de hac quæstione  
sciagraphia.

**ESTO TRIUNI GLORIA.**

*Ad*

*Ad Virum Clarissimum,*

**DN. ERNEST GESTRINIUM,**  
Amicum & convictorem dulcis-  
simum,

*de JURE NATURÆ & GENTIUM*  
Eruditè pro Gradu Magisterii dispu-  
tantem:

**N**ata DEI soboles cerebro qvæ creditur  
ejus,  
Qui summa trifidas vibrat ab arce  
faces,  
Flamas cum nullo fertur sociasse jugales,  
ac tibi, Diva Cypri, triste dedit Vale:  
Huic GETSRINIUS at dulci conjunctus a-  
more est,

Huic dedit &c sancti fœdera casta tori.  
Festa dies aderit qvæ istos firmare valebit  
ausus, qvæ clarios ornet honore viros;  
Qyamqve geres laurum tradet Pataræus

Apollo,  
qvæ mox ingenuas cinget amanda  
comas

Aureus at digitum subito decorabit amici  
Orbis, & hic index certus amoris erit.  
Ast hæc non meritis respondent præmia vestris,  
posthæc sic voveo, splendidiora feres!

S. Tigerstedt.

VIRO

Non minus natalibus & morum cultura,  
Qvam singulari doctrinâ

Clarissimo,

DN. ERNEST GESTRINIO,  
Philosophiæ Candidato eximio,  
patriotæ & Amico svavissimo,  
Dum pro laurea Magisterii adipiscen-  
da, suam de JURE NATURÆ atque  
GENTIUM egregiè defenderet  
sententiam:

**Q**uam tua sunt variis possessa hæc tem-  
pora curis!  
Tempora quæ nullam, Fautor amande,  
moram  
Jam patiuntur, sed quæ sunt facienda re-  
currunt.

Festino calamo, facta vebenda tamen:  
Nam monstras subito, quæ non felicius alter  
Monstrasset, longo tempore, jura duo.  
Hæc tua jam studiis parta est sollertia castis,  
Quare Castalides præmia pulcræ dabut,  
Addent & docto titulum: Præclare Magister.  
Sic decet egregios inclaruiste viros.

GABRIEL Forsteen/  
Nylandus.